

hac proba uerentur, ſine ulla Dei invocatione, ſine ullo ritu, pietatis aliquid praferente. Quod contigiſſe credo, quod nulli Sacerdotes benedictionem aquae ad hanc probationem alioſq; ritus impendere uellent ob Decretum Concilii Lateranenſis ſub Innocentio III. in Cap. 9. Ne Clerici uel Monachi ſecularibus negot. quo ſtatutum eſt, nec ullus Subdiaconus, Diaconus uel Sacerdos purgationi, aquae ſeruentis uel frigidae, ſeu ferri candentis ritum, cuiuslibet benedictionis aut conſecrationis impendat.

XXXIX. Interim & hanc probam ut ſuperſtitioſam & illicitam multis reſellit ibidem Delrio q. 5. atque hodie uno conſenſu reprobandur, & exulant hic à iudiciis huiusmodi uulgares probationes; uti teſtantur Damhouderus in Praxi rerum crim. c. 43. Xypaeus loco mox citato, aliique paſſim Pragmatici.

XL. Poſt nihilominus ex his omnibus concludi, quam fallax ſit argumentum ex praxi multorum in Eccleſia etiam publicis aliquorum legibus probata, & ritibus publicis exornata peuitum. Cum hic ſimilem uideamus pluribus ſaeculis uſitatam, tandem ut ſuperſtitioſam, & Dei tentatiuam improbatam.

XLI. Praeter has uulgares probationes, fuit jam pridem alia uſitaſſima, qua infamati, praefertim Eccleſiaſtici, de crimine, ſeſe expurgare iubebantur. In praeſcis enim Eccleſiae Catholicae temporibus tanta erat Patribus honeſtatis cura, ut nedum in Clericis aperta crimina non tollerent, ſed neq; ſuſpicionem ſeu infamiam criminis ſuſtinere uellent, ſit Ignatius Lopez in ſua Praxi Can. crim. c. 148. atq; ideo ait, contra quos de crimine infamia, aut grave ſcandalum ſeu uehemens ſuſpicio ſurgebat, purgationem Canonicaſ indicendam decreuerunt.

XLII. Haec autem purgatio plerumque fieri ſolebat praſtito iuramento de innocentia, tactis ſacrosanctis Euangelii, uel Sanctorum Reliquiis.

Apud S. Gregorium lib. 2. indiſt. 10. epiſt. 23. legitur, quod cum de quodam Epifcopo ſuſciperetur rumor, & facta diſtincta in quaſitione de iis quae ſparſa fuerant nullam in eo de iis culpam inueniſſet: Sed ne quid uideretur omiſſum (ait) quod noſtro potuiſſet dubium cordi remanere, ad Beati Petri Sacraſſimum Corpus diſtincta eum ex abundanti fecimus ſacramenta praebere. Integer textus Gregorii extat apud Gratianum cauſ. 2. quaſt. 3. Can. 6.

Rurſus lib. 6. epiſt. 18. Sanctus Gregorius cuidam Diacono ſcribit, quod ſi de ipſo aliqua fuiſſent nuntiata quae officii ipſius propoſitum non leuiter macularent: ac propterea curae ſibi fuiſſet, ea diu ac ſubtili inueſtigatione perquirere; ac dein ſubjungit: & quoniam nil quod tibi noceret inuenimus; ne qua de his quae dicta fuerant, ſuſpicio remaneret, ad pleniffimam te ſatisfactionem, ſi ab eis inſons exiteris, ad ſacraſſimum corpus Beati Petri Apoſtolorum Principis diſtincta fecimus Sacramenta praebere.

Pluribus aliis locis de hac purgationis ſpecie agit S. Gregorius; atque ſignanter lib. 7. ind. 2. epiſt. 80. committit cauſam cuiusdam Maximi Epifcopo Ravennae, cum hac clauſula: Si idem Maximus coram uobis & Chartulario noſtro de ſimoniacae hereſi praſtito ſe ſacramento purgauerit, atque de aliis ante corpus S. Apollinaris, ſicut ſcripſimus, tantummodo requiſitus liberum ſe eſſe reſponderit.

XLIII. Cum autem infamatus de crimine in ea purgatione per ſacramentum ſive juſjurandum conſtituatur quaſi iudex in propria cauſa; ideoq; purgatio haec uideretur exigui ponderis ad probandam innocentiam infamati; praefertim quod qui aliis enormibus criminibus ſe inquinare auſi ſunt, haud difficileſ his perjurium ad euadendas poenas eſſent adſecturi; ideo & Veteribus jam pridem placuit, ut non ſolus infamatus ſuam innocentiam interpoſito ſacramento ſive iurejurando aſſereret; atque hoc modo ſe à criminis infamia, uel ſuſpicione purgaret; ſed exigebantur

illa ſacramenta ab infamatis cum tribus, aut quinque, aut ſeptem Collegis ſui ordinis, ut loquitur Ivo Carnotenſis epiſt. 54. & 206.

XLIV. Sub nomine Synodi Agathenſis reſert Gratianus Cauſ. 2. qu. 3. Can. 12. & in Cap. 2. De Purgat. Canon. Si Accuſatores legitimi non fuerint, qui ejus (Presbyteri) crimina manifeſtis iudiciis probare contenderint, & ipſe negauerit, tunc ipſe cum ſociis ſeptem ejuſdem Ordinis (ſi ualeat) à crimine ſeipſum expurget. Diaconus uero, ſi eodem crimine accuſatus fuerit, cum tribus ſe expurget.

XLV. Si ſatis conſtaret, Decretum hoc eſſe Synodi Agathenſis, quae habita eſt anno 506. dubitari non poſſet de antiquitate huius ritus; ſed cum inter uulgatos Canones huius Synodi Decretum hoc non reperiatur; atque in collectione Conciliorum reſiciatur ad calcem Synodi extra numerum Canonum, nihil certi pro antiquitate huius ritus hinc ſtatu poteſt.

XLVI. Indubitatum nihilominus eſt, ritum hunc purgationis eſſe antiquum; ejuſq; tamquam jam uſitati ſaepe meminit Gregorius Turonenſis, ac ſignanter lib. 8. Hiſt. Francorum c. 9. & 40. & in Capitularibus Regum Francorum frequens occurrit mentio huius purgationis, atq; ſignanter lib. 3. c. 9. ſtatuitur, ut accuſati de conſpiratione, ſi liberi homines fuerint iurent cum IDONEIS JURATORIBUS hoc pro malo non feciſſe. Et in lege Salica tit. 50. CONIURATORES dicuntur. Et lib. 5. Capitular. c. 52. & 62. SACRAMENTALES, in uerbis: Quod ſi negare uoluerit, cum duodecim ſacramentalibus iuret. Et alio loco iuret cum ſuis SACRAMENTALIBUS.

XLVII. Debeant ergo una cum infamato alii teſtes iurare. Cum autem conſtet, manum ſemper fuiſſe ſymbolum fidei; atque ideo in iudiciis, & contractibus, ubi fides ad dicitur manus porrigi, in ſignum fidei, ſolium quoque fuit: uti & hodie, porrectis manibus iuratur, indeque nihil frequentius in antiquis legibus, quam manu quinta, manu ſexta, ſeptima uel duodecima ſe purgare; id eſt, quinque, ſex, ſeptem uel duodecim adhibitis iuratoribus.

Hoc ſenſu accipitur in Cap. 8. De Purgat. Canon. ubi mandat Pontifex cuidam Epifcopo, quatenus u accuſatores idonei non apparuerint, ut cum ſeptima aut quinta manu ſui Ordinis (ſicut expedire cognoveritis) per purgationem Canonicaſ innocentiam ſuam oſtendat, ipſi iungas. Et Cap. 5. eod. injungitur cuidam Epifcopo, quod, terſa manu ſui Ordinis, & quarta Abbatum & Religioſorum Saacerdotum, de ſimoniacae debeant ſe purgare.

XLVIII. Et in Cap. 10. eod. Innocentius III. ſcribit Senonenſi Archiepifcopo: Attendentes autem uulgatam infamiam, grave ſcandalum, & uehementem ſuſpicionem ex teſtium dictis obortam, quae contra Decanum facere uidebantur, quam propter eorum quodlibet ei eſſet purgatio indicenda, & ſeruantes iuſtitiam, & mollientes ritum, purgationem ei quarta decima manus ſui Ordinis duximus indicendam.

Ex his Decretalibus uno conſenſu concludunt Canonicae, numerum Compurgatorum ſive coniuſuratorum non eſſe praeciſe in iure determinatum; ſed Iudicem ſecundum qualitatem delicti, uehementiam infamiae, & conditionem perſonae majorem uel minorem numerum requirere debere; quemadmodum etiam jam pridem ſcripſit Ivo Carnotenſis epiſt. 206. Poſuerunt autem in diſcretionem Epifcoporum, ut ſecundum quod audiunt malam famam Presbyterorum crebreſcere & ingraveſcere, exigant purgatoria ſacramenta à Presbyteris infamatis, cum tribus, aut quinque, aut ſeptem collegis.

XLIX. Hi compurgatores non debent iurare, quemadmodum ipſe infamatus de ueritate, ſed id ſolum tenentur juſramento firmare, quod ueritatem credunt eum dicere, qui purgatur; uti ſcribit Innocentius III. in Cap. 13. eod. uel ut idem Pontifex exprimit in Cap. ſin. eod. quod credant eum uerum iuraſſe.

L. Hunc

L. Hunc tenorem purgationis exprimens Pontifex in Cap. 5. eod. ait: Poſt purgationis tenor erit huiusmodi. Epifcopus [infamatus de ſimoniacae] iurabit primum ſuper Sanctae Dei Evangelia, quod pro Eccleſia Sancti Petri Presbytero P. danda, nec ipſe per ſe, nec per ſubmiſſam perſonam, nec aliquis pro eo ſe ſciente pretium receperit; deinde purgatores ſupra Sanctae Dei Evangelia iurabunt, quod ipſi credunt eum uerum iuraſſe.

LI. Ut autem compurgatores huiusmodi teſtimonium de infamato reddere queant, debet ipſis uita & conuerſatio infamati apprimè eſſe nota; ut ex illa ſundatam conjecturam concipiant, ipſum reuera crimen, de quo infamatur, non commiſiſſe; ac proinde reuera credere, ipſum uerum iuraſſe, quemadmodum expreſſit Pontifex in Cap. 7. eod. dicens: Ut autem idonei appareant, necelle eſt, ut ejus, quem purgare debent, uita & conuerſationem agnoſcant. Et in Cap. 10. eod. uult Innocentius III. ut Compurgatores ſint, qui conuerſationem & uitaſ ipſius non tam moderno tempore noverint, quam tranſactio: ſi nianimè crimen, de quo infamatur, dicatur, tranſacto tempore commiſſum, uti exponit Pauormitanus.

LII. Ulteriùs ut Compurgatorum teſtimonium fidem addat iuramento & aſſertioni infamati, requiritur ut hi ſint illius honeſtatis & opinionis, ut uerifiſſime ſit, eos nolle amore uel odio ſeu obtenta pecunia pejerare, ut loquitur Pontifex in Cap. 7. eod. ſive ut ſint fide Catholici & uia à probati; quemadmodum dicitur in Cap. 10. eod.

LIII. Hanc purgationem etiam in Curiis ſecularibus olim in Belgio notam fuiſſe probant antiquae tabulae Legum Brabantiae, quas anno 1312. dedit Joannes II. Dux Brabantiae, quemadmodum notat Zypaeus in Jure Novo De Purgat. Canon. n. 1.

LIV. In Concordatis inter Epifcopum Cameracenſem & Conſiliarios Hannoniae anno 1441. art. 25. conuentum eſt, quod in caſu uehementis ſuſpicionis, aut notoriae infamationis, unde oriri poſſet grave ſcandalum Officialis poterit etiam contra laicum purgationem more conſueto indicere. Habetur hoc Concordatum parte 1. Edit. Brab. hb. 1. tit. 1. c. 3.

LV. Uſus huius purgationis in Curiis Eccleſiaſticiſ etiam

num ſuper eſt; in ſaecularibus uix apparet; quamquam Damhouderus in Praxi Rerum Crim. c. 44. dicit, quod ad imitationem Curiarum Eccleſiaſticarum, ſubinde etiam in tribunalibus ſaecularibus ſeu prophana in Flandria, nec non aliis in locis hac forma purgationis utantur.

LVI. Quin & teſte Zypaeo loco citato, etiam in Curiis Eccleſiaſticiſ rarior eſt uſus. Teſtatur quoq; Ignatius Lopez in annotatione ad c. 148. Practica Can. Crim. Bernardi Dias, quod non facile per Iudices Eccleſiaſticiſ Canonica purgatio indicenda ſit, cum fragilis, fallax, & incerta ſit; eo quod ab hominum iudicio dependeat. Quod in cauſis fidei Madriliana inſtructione c. 17. his uerbis definitum eſt. Ob malitiam humanam purgatio Canonica, periculoſiſſimum eſt remedium, praefertim his temporibus. Ideoque non multum eſt in uſu, quare utendum raro, & cum magna cauſa.

LVII. Illud quoque certum, purgationem hanc non eſſe indicendam, niſi ubi dubium eſt, num infamatus reuera crimen commiſerit; & uita ordinaria ueritas teget nequit, quemadmodum in relatis Epiftoſis S. Gregorii manifeſtum eſt; & ſaepe Pontifices reſponderunt, ac ſignanter in Cap. 3. & 15. De Purgat. Canon. atque uno conſenſu tradunt Canonicae, dicentes, purgationem hanc eſſe remedium ſubſidiarium indagandae ueritatis, deficientibus aliis remediis.

LVIII. Quin & Iudices merito in indicenda hac purgatione circumſpecti eſſe debent, ne tam faciliùs indicendo ſacrilegii & perjurii participes efficiantur. Et enim cum homines, qui magnorum criminum ſuac Rei, aut fuerint propter utilitatem aut uoluptatem, quas in criminibus quaerunt, grauius impingere in legem aeternam ejuſmodi crimina prohibentem, magnopere timendum eſt, ne ut ſupplicium & infamiam, quae ob crimina commiſſa imminent euadant, pejerare audeant. Facile eſt hinc uidere, quam ſaepe ſacrilegum ſit ab ejuſmodi criminoliſis expetere, ut iuramento ſe purgent, cum, ſi non certum, ſit ſaltem admodum uerifiſſimè, quod pejerabunt, ſi crimen reuera commiſerint.

Temerarium proinde eſt credere quod tale crimen non commiſerint, quia jurant ſe non commiſiſſe.

TITULUS IX.

De Sententiis, earumque Executione.

CAPUT I.

De Sententia definitiva, Interlocutoria, & provisionali.

- 1 Quid ſententia; & quid res iudicata?
- 2 Sententia alia definitiva, alia interlocutoria.
- 3 Deſcribitur ſententia definitiva; & quare haec ſola proprie dicatur ſententia?
- 4 Quid ſententia interlocutoria?
- 5 Exempla aliqua utruſque ſententiae.
- 6 Sententia interlocutoria eſt duplex.
- 7 Exponitur, quando ſit interlocutoria habens vim definitiua.
- 8 De hac interlocutoria loquitur Synodus Trid. ſeſſ. 24. cap. 20. de Reformat.
- 9 Expreſſit Synodus praecipuum indicium, e quo dignoſcitur, an habeat vim definitiua.
- 10 Plura exempla huius ſententiae exhibentur.
- 11 Sententia ſuper pleno poſſeſſorio in materia beneficiali eſt definitiva.
- 12 Recreſcentiaſ autem eſt mere interlocutoria.
- 13 Sententia provisionaliſ ſolet eſſe tantum ſimpliciter in-

- terlocutoria.
- 14 Quid ſit ſententia provisionaliſ; & cur ejus uſus inductus & cur dici nequeat definitiva?
- 15 Solet pro uiſo decerni, ubi eſt periculum diminutionis cultus diuini.
- 16 In cauſa alimentorum frequenter eſt locus ſententiae provisionaliſ.
- 17 Pro uiſo hac faciendae ſilio ſive in prima, ſive ſecunda inſtancia.
- 18 Poſeſt peti in qualibet parte litis.
- 19 Debet tamen actor probare filiaſionem ſeu aliam qualitatem, aut ſaltem quaſi poſſeſſionem.
- 20 Pro uiſo in cauſa poſſeſſionis congrua eidem fundamento uincitur.
- 21 An Religioſo appellanti à Decreto Abbatis ad iudicandam per provisionem neceſſaria ad proſequendam cauſam?
- 22 Utrum ad iudicandam Religioſo accuſanti Abbatem ſuper indebita adminiſtratione Monasterii?
- 23 Qua in hiſce à Iudice cauenda.
- 24 Plures cauſe in quibus ad iudicatur pro uiſo remiſſiue.
- 25 Iudex in ſententia exprimere debet ſententiam dumtaxat eſſe provisionalem.
- 26 De iure pro uiſo decerni poſeſt à Iudice cauſa principaliſ.

- 27 In Gallia pretenditur ad iudicem secularem spectare, dare provisionem.
- 28 Ordinatione Curiarum Eccles. Provincia Mechliniensis supponunt iudicem Ecclesiasticum etiam posse dare sententias provisionales.
- 29 Quomodo hac danda in causis testamentariis, vel contractuum antenuptialium?



I. Sententia dicitur ipsa pronuntiatio sive definitio iudicis finem controversiæ imponens. Res verò iudicata est ipsa causa controversiæ, quæ finem controversiæ pronuntiatione iudicis accepit. *L. 1. ff. de re iud.* Quamquam & sententia, quatenus decurso appellacionis tempore, manet, veluti à Partibus approbata & iudicata, non malè quoque res iudicata dicitur, eo què pacto dici soleat, sententiam transire vel transivisse in rem iudicatam.

II. Cùm autem iudex soleat non tantùm suâ pronuntiatione determinare sive definire causam principalem, sive eam super qua principaliter inter Partes controversatur, sed sæpius etiam nonnullas in principio litis vel ejus decursu incidentes quæstiones; hinc alia dicitur sententia *definitiva* alia verò *interlocutoria*.

III. *Definitiva* proprie dicitur, quia iudex quantum ex se est, finem imponit principali controversiæ; ipsamque causam inter Partes pendente dirimit ac definit. Et quia hæc sola sententia proprie causam *definit* & controversiam *dirimit*, etiam sola proprie *sententia* vocatur; utpote per quam ipse iudex super controversia pendente sententiam suam dicit.

IV. *Interlocutoria* vocatur, pronuntiatio iudicis super aliquo articulo negotium principale non dirimens; idq; si-vo articulus sive punctum quod deciditur principium, medium, sive finem litis concernat; modò non definiat negotium principale super quo lis contestata fuit. Unde ex Martino in additionibus ad Hostiensem in Summa *tit. De Sententia* dicitur sententia *interlocutoria*, quæ non super principali, sed super aliis quæstionibus fertur principali causâ durante.

V. Hinc inferi Rebuffus in Repetitione *L. QUOD JUSTITIA* ff. *De Re iudicata* in præfatione n. 33, sententiam esse definitivam, si pronuntietur satisdandum esse, vel non, quando *principaliter* petebatur, aliàs secus. Item si de nullitate actus *principaliter* dubitetur, & super eo feratur sententia, dicitur definitiva. Plura ibidem profert exempla sententiæ definitivæ, quæ ostendunt, sententiam definitivam requirere, ut per eam finis imponatur negotio principali. Si autem tantùm decidatur incidens aliquis articulus, manente interim principali negotio indeciso, non dicitur sententia definitiva, sed *interlocutoria*; quasi manente principali controversiâ iudex dumtaxat *interloquat*, ut principale negotium melius terminari queat: dicitq; Rebuffus in tractatu *De Sententiis executoriis* &c. in præf. n. 5, quod omne Decretum iudicis, vel, ut vulgò dicimus, *apud tamentum* dicatur sententia *interlocutoria*.

VI. Sententia autem *interlocutoria* duplex est. Una habens vim definitivam; atq; à sententia definitiva ferè solo nomine distincta. Altera merè & simpliciter *interlocutoria*.

VII. Prior appellatur illa sententia, quæ quidem principale negotium absolute non dirimit; sed tantum aliquem articulum causæ principali incidentem aut connexam; atq; eatenus *interlocutoria* vocatur; sed articulum talem incidentem ita dirimit, ut per hanc suam sententiam parti litiganti damnum inferat irreparabile per definitivam, aut appellacionem à definitiva; quapropter hæc sententia quantumvis *interlocutoria*, dicitur habere vim definitivam.

Cùm enim huiusmodi sententia non per *interim*, sed absolute articulum illum dirimat, & præiudicium Parti litiganti inferat, quod per definitivam aut appellacionem à definitiva reparari nequit, eundem effectum huic sententiæ leges dederunt, quem habet sententia definitiva, quæ negotium principale dirimit.

VIII. De hac sententia interlocutoria loquitur Synodus Trid. *Sess. 24. c. 20. De Reform.* dum ibidem statuit, ut, ne quæ appellaciones à sententiis Ordinariorum interpositæ per Superiores quoscumq; recipiantur; eorumve commissio aut inhibito fiat nisi à definitiva, vel à *definitiva* vim habente, & cujus gravamen per appellacionem à definitiva reparari nequeat.

IX. Expressit hic Synodus præcipuum indicium unde dignoscatur, num sententia interlocutoria habeat vim definitivam: si nimirum inferat tale gravamen parti, quod nec per sententiam definitivam, nec per appellacionem à sententia definitiva reparari potest.

X. Plurima exempla huius sententiæ allegant Rebuffus loco citato; & Damhouderus in Praxi rerum civil. c. 155. atque hic pro primo exemplo allegat, Si pars declinare, aut remissionem à iudice peteret, & si tunc iudex nihilominus eidem parti mandaret, & ordinaret ut respondeat, ea ordinatio est interlocutoria definitivam sapiens, quia ipsa remissioni petitiæ præiudicat, ab appellando partem illam excludit, & ipsi perpetuum silentium imponit ideoq; effectum definitivæ meriti obtinet.

XI. Dicit ibidem n. 8, quod sententia data super possessorio sit interlocutoria simplex; sed quando proprietati ipsa cum possessorio conjuncta & annexa est, eo casu ipsa censetur definitiva. At Nicolaus Taldenus *Litt. l.* notat ex Maranta, hanc esse adhibendam distinctionem, ut si agatur super possessorio *principaliter*, & in eo lis contestetur, sententia in eolata mera sit definitiva, quia causam definit, possessorio principaliter intentatam: non obstante quod in petitorio possit revocari, quia id novum esset iudicium, sed si possessorium tractetur incidenter, tunc sit interlocutoria.

Et sanè nemo ambigit, quin sententia lata in Concilio Regis super pleno possessorio in materia Beneficiali sit definitiva; habeatq; omnes proprietates sententiæ definitivæ, ut colligi potest ex dictis supra *tit. 2. c. 3.*

XII. At sententia recedentialis in materia Beneficiali rectè dici potest *sententia interlocutoria*; & quidem simpliciter sive merè interlocutoria non habens vim definitivam: eò quod tantùm jus faciat *interim*; nec inferat damnum irreparabile per sententiam definitivam super principali, ut supra loco citato ostensum est.

XIII. Imò omnis sententia provisionalis, quæ hodie est frequentissima, præsertim in Curia Regis, solet esse dumtaxat *interlocutoria*; & quidem sæpius merè interlocutoria non habens vim definitivam: quia sententia provisionalis non solet imponere finem controversiæ principali; quin & sæpius nullum damnum inferat, quod per definitivam reparari nequeat.

XIV. Cùm enim sententia definitiva ferri nequeat, nisi primùm iudex de causa principali *plene* cognoverit, consequens est, sententiam provisionalem nequaquam dici posse definitivam. Provisio enim à iudice conceditur, ut præfati necessitati *interim* provideatur, tamen si nondum de causa principali *plene* cognoverit, uti rectè adverte Rebuffus in Tractatu *De Sententiis provisionalibus*, ubi n. 22, dicit, ob justam & necessariam causam provisionem esse faciendam, & maximè quando imminet periculum si non fiat. *Et n. 14.* dixerat, Provisio est pronuntiatio præiudicialis iudicis, Divini cultus, seu alimentorum ratione, aut aliâ necessitaria, & iusta causâ facta.

XV. Unde cùm publice expediat, cultum Divinum occasione litis inter privatos excitate non diminui, aut populum *interim* eo privati, solet iudex providere, ut *interim* dum quæstio principalis inter Partes agitur, cultus Divinus peragatur, exemplo Pontificis in *Cap. 28. De Appell.* ubi mandavit Salesberiensis Episcopo, ut pendente appellacione per Canonicam quemdam residere recusantem interjecta *interim* alicui honestæ personæ vices ejus in Ecclesia committat, & ei de beneficiis illius assignet, unde possit congruè sustentari.

Ad hunc textum reflectens Rebuffus *numer. 37. ait* & c.

Ecce quomodo pendente etiam appellacione fit provisio favore Ecclesiæ & Divini cultus, tam Ecclesiæ, quam personæ, quæ Ecclesiæ servire debet durante provisione: Iudex enim pendente lite per modum provisionis servitium Ecclesiæ sic faciendum esse pronuntiabit.

XVI. Frequens est hæc sententia provisionalis in causa alimentorum, de qua expressè loquitur Constitutio Caroli VII. Regis Galliarum *art. 5.* vetans, similem provisionem per iudices Regios adjudicatam, per appellacionem suspendi. De qua provisione latè agit Rebuffus in citato Tractatu *art. 1. Glossa 2.*

XVII. Notat autem juxta hodiernam praxim, faciendam esse hanc provisionem filio tam in prima quam secunda instantia; idq; ex æquitate receptum esse, ne fame pereat, & ne cogatur ob defectum pecuniarum processum deferere, & litibus renuntiare; & ita non semel decisum fuisse, & servari in Gallia testatur.

XVIII. Quin & addit, quod si non fuerit petita provisio in prima instantia, peti queat in secunda, & adjudicari; imò addit n. 14, hanc provisionem peti posse in qualibet parte litis, quia filius semper gravatur.

XIX. Si tamen is qui titulo filiationis petit provisionem alimentorum, non esset in possessione filiationis, sive publicè non haberetur pro filio illius, cui prætendit succedere, tunc non fieret provisio nisi priùs probata esset filiatio, quæ est fundamentum provisionis, uti rectè monet Rebuffus ibidem n. 25. Nam oportet [ait] probare saltem quasi possessionem filiationis, vel alieus qualitatè intentatæ.

XX. Et quia causa portionis congruè Parocho assignanda est causa alimentorum, in hac summarè & provisionaliter adjudicationem fieri debere, latè ostendi supra *parte 2. tit. 34. c. 5.*

XXI. Simili ratione, quia subinde solent Abbates aliq; Superiores Religiosorum ultra modum in Religiosos sævire, ideoq; compellunt eos ad appellandum, *interim* pendente appellacione iudex his Religiosis poterit providere pro alimentis & litis prosecutione, uti notat Rebuffus in præf. n. 107. Magna tamen hic adhibenda à iudice cautela, ne rigor disciplinæ per huiusmodi appellaciones & provisiones infringatur, & Monachorum inobedientia & dissolutio foveatur.

XXII. Eadem provisio interdum facienda, si Monachus Abbatem suum accuset pro utilitate Ecclesiæ; puta, quod bona Monasterii dilapidet, computus non reddat, indisciplinate vivat &c. vel etiam si Monachus Monasterii sui reformationem prosequatur; uti tradit Rebuffus ibidem n. 106. argumento *Cap. 11. De Accusat.* ubi expressè respondit Pontifex, quod Monachi ab accusatione sui Abbatis non sint ullatenus repellendi; Quibus, si quidem (ait Pontifex) cum proprium non habeant, de rebus Monasterii expensæ debent necessariæ, donec causa debitum finem accipiat, ministrari.

XXIII. Antequam autem hæc provisio Monacho adjudicetur, meritò attendet iudex, num prætextus utilitatis Monasterii in accusatione Abbatis, non sit pallium inobedientiæ vel rebellionis; prætextus reformationis, vel amen vagationis & excursionis.

XXIV. Plures alios casus quibus provisio à iudice adjudicanda est, ibidem exponit Rebuffus; additq; ea non fieri posse etiam in casibus ibi non expressis, dum occurreret alia iudici causa, vel similis vel major expressis.

XXV. Monet insuper n. 141, quod in sententia exprimi debeat, tantùm per modum provisionis condemnationem fieri. Si verò iudex simpliciter condemnaret, malè faceret [inquit] quia ante plenam probationem non debet fieri condemnatio; quæ tamen condemnatio per provisionem fit, dummodò summarè appareat; & ideo exprimi debet.

XXVI. Si juris rationem attendamus, provisio decernenda est ab iisdem iudicibus, ad quos materiæ principalis cognitio spectat: quia regulariter sit potest de accessoriis cognoscere, qui de principali; & ideo de hac provisione cognos-

cit is, qui de principali; ait Rebuffus n. 31.

XXVII. Addit autem Rebuffus ibidem n. 32, Servatur tamen in hoc Regno contrarium, quod iudices laici provisionem adjudicare possunt laico, vel vulnerato, etiam à Clerico solvendam: nec is remittitur ad suum iudicem Ecclesiasticum in causa principali, donec executio facta fuerit super provisione; & sic hæc provisionis materia maximè coram iudicibus secularibus exercetur, cùm ipsi sic usi fuerint, & ab Ordinationibus concedatur. Et si iudex Ecclesiasticus ad aliam provisionem Clericum condemnaret, abuteretur & potest tamquam ab abusu ab eo appellari, ut censuit Senatus anno 1524. die 15. Decembris. Imò dicunt Regales (pergit Rebuffus) iudicem Ecclesiasticum non posse condemnare laicum ad provisionem Clerico faciendam, licet non debeat esse melioris conditionis iudex laicus quam Ecclesiasticus, tamen Curia Parisiensis dixit abusum fuisse Officialem Parisiensem in eo, quod purum laicum condemnaverat ad provisionem Clerici anno 1524. die 14. Februarii.

XXVIII. Certum est in Ordinationibus Curiarum Ecclesiasticum posse condemnare per provisionem. Nam titulus 13. totus est de *materia provisionali*; atq; per plures articulos disponitur, qualiter in materia provisionali iudex procedere debeat; ac nominatim quomodo provisio danda contra eum, cujus chirographum producitur, de qua latius actum est supra *tit. 7. c. 4.*

XXIX. Dicitur quoque *art. 7.* Quibus in locis cognitio validitatis testamentorum, vel contractuum antenuptialium, ad iudicem Ecclesiasticum spectat, si instrumentum manifestum vitium non continet, sed extrinsecus perfectum apparet, etiam si falsum, irritum, ruptum, in officiosum, nullumve esse dicatur, per provisionem effectum illud fortiri sub cautione debere, declarabitur; salva allegationum penitenti inquisitione, sive ex eo agat ex alle in-stitutus hæres, sive ex parte.

CAPUT II.

Quæ observanda ante sententiæ prolationem; & quæ iuramenta à iudicibus præstanda.

- 1 Ante pronuntiationem sententiæ Partes utrimque in suis allegationibus audienda.
- 2 De iure communi Parte una in causa concludente, alteri ad concludendum certum tempus præscribere iudex potest.
- 3 Id conforme hodierna praxi.
- 4 Post conclusionem causa nulla nova facta à Partibus allegari possunt sine licentia Curia per libellum Civilem impetranda.
- 5 Occasione huius libelli novæ institui vetatur.
- 6 Conclusio in causa tantùm ligat Partes, non autem iudicem.
- 7 Motiva juris dari possunt post conclusionem in causa.
- 8 Postquam in causa conclusum est examen totius causa à iudice instituendum.
- 9 Ut examen causa facilius & exactius fiat, designatur Relator sive Referendarius; & unde sic dicitur?
- 10 A quo designandus?
- 11 Senatores sollicitare non possunt ut relatores designentur.
- 12 Relator Partibus litigantibus non indicandus.
- 13 Quis delectus in constituendo Relatore haberi debeat?
- 14 Relatores ad sollicitationem Partium dandi non sunt.
- 15 Quo modo causa per Relatorem in Curia referenda?
- 16 Post relationem integra coram Senatu legenda.
- 17 Absolutè à le Curia tenetur rursus Relator causam summarè repetere.